



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Consolatio ex S. Baptismo D. N. Iesu Christi. Fructus S. Baptismi D. N. Iesu
Christi. xiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

formam gestans non Angeli, neq. Archangeli, sed vniuersorum Domini: atque in sese Christum representans. Quanta dignatio Dei, patrem hominum esse: quanta hominum gloria, Dei filios esse & heredes? Nam si filij, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Rom. 8.

CONSOLATIO EX S. BAPTISMO DOMINI nostri Iesu Christi.

Fructus S. Baptismi D. N. Iesu Christi.

CAPVT
XIII.

Apoc. 1.

Mat. 3.

Ephes. 2.

Coloss. 1.

Sacro sancto suo Baptismo Christus Iesus D. N. ostendit se esse SALVATOREM MVNDI: atque idcirco ad nos venisse in mundum, vt sanguinem suum profunderet, quo nos à peccatis nostris ablueret. Sicut scriptum est: Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et, vt per suum S. Baptismum aquas nostras sanctificaret, nobisq. fontem salutis pararet: nempe, sicut Lutare Lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: vt scribit Apostolus Paulus ad Titum, cap. 111. Huius Effectus & Fructus declarantur in historia Evangelica, vbi sic legitur: Baptizatus Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt caeli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de caelis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Sed expendenda sunt singula historie partes. APERTI SVNT CÆLI. Eo significatum est, Christum esse, per cuius Incarnationem & sanguinis effusionem humana caelestibus iungerentur: qui cali iannis apertis, aditum nobis ad thronum Dei fecerit. Sicut S. Paulus dicit: Per ipsum habemus accessum ambo (Iudæi & Gentes) in vno Spiritu ad Patrem. Et iterum: Pacificans per sanguinem crucis eius, siue qua in terris, siue qua in caelis sent.

ET VI-

ET VIDIT spiritum Dei descendentem, sicut columbam. Significatum est, per Christi Baptismum, quo noster Baptismus consecratus est, ac per quem Christo inferimur & incorporamur, nos Spiritu sancto donari: quem accipimus tanquam pignus hereditatis aeternae. Ad hunc quippe modum scribit Apostolus Paul. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis et renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christum Dominum nostrum: ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae. Et ad Ephesios: Signati estis, inquit, Spiritu promissionis sancto: qui est pignus hereditatis nostrae. Idem Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: eodem Apostolo teste, Roman. viii. Est autem consolatione plenum, quod Spiritus sanctus in specie descendit columba. Mansuetum hoc animal, ac mundum est. Quia igitur est mansuetudinis spiritus, propterea in eius specie apparuit. Simul etiam nos veteris admonet historiae. Nam cum aliquando uniuersum orbem naufragium commune miserisset, & omne prorsus hominum genus periclitaretur: istud interim certe animal apparuit, sinemque illius tempestatis ostendit: atque ore raramum portans oliuae, pacem mundo redditam nunciauit. Quae omnia erant futurorum figura. Tunc enim multo erat hominum vita deterior, multoque maiori digna supplicio. Ne ergo ipse desperes, illius te historia confirmat admonitu. Nam tum quoque desperatis iam omnibus rebus, liberatio facta est atque correctio: sed tunc utique per poenam, modo vero per gratiam, atque ineffabilem indulgentiam Redemptoris. ET ECCE vox de caelis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Significatum est, Christum Baptismo suo aqua & sanguinis promeruisse nobis, ut filij Dei nominemur & simus. Sicut in Epistola sua

Tit. 3.

Ephes. 1.

Chryf. Homil. 12 in Mattheum.

Genes. 8.